

Johann Kirchmann Johann Quistorp

Disputatio Anniversaria De Ira Cohibenda

Rostochii: Myliandrus, 1611

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729127699>

Druck Freier  Zugang



J. Kirchmann
R. U. phil. 1611.

Philos. 14
81
Disputatio Anniversaria
DE IRA CO-
HIBENDA

quæ præside
M. IOHANNE KIRCHMANNO
Poëtes Professore in Acad. Rostochiensî

ac
respondente
IOHANNE QUISTORPIO

habebitur

Ad 3. diem Julij in Auditorio magno.



R O S T O C H I I
Ex Officina Typographica Stephani Myliandri

Anno c1o 1oC XI.

1611



DISPUTATIO DE IRA COHI- BENDA.



Nter omnes affectus, quibus vita humana inquietatur, nullus alius est, qui & crebrius mentem nostram percellat & vehementius, quam IRA: quæ etsi quidem à natura nobis utiliter insita est, sæpe tamen gravissimorum malorum causa exitere solet, nisi maturè coëreatur. Ut igitur hunc affectum *maximè ex omnibus terrum ac rabidum*, ut Seneca ait, rectè noscere ac fugere discamus, pro bono utiliq; facturus mihi videor, si brevem de ea disquisitionem instituero, in qua hunc tenebo ordinem, ut primùm dicam, Quid sit Ira & quæ ejus sedes. Secundò ob quas causas, quibus potissimùm irasci soleamus. Tertio, Quinam sint ad iram propni. Quarto quàm multa mala ex ira proveniant, Deniq; propnam rationem iræ moderandæ; quam virtus *περότης* quæ dicitur nobis præscribit: nam remedia adversus hunc affectum in aliud tempus differemus.

CAPVT I.

Quid sit Ira, & quæ ejus sedes.

1. IRA variè à varijs autoribus definitur. Nos verò non trahimus hoc loco definitionem illam Physicorum, qui teste Aristotele lib. 1. de Anima cap. 1. ajunt Iram esse *ζέον τὸ πρὸς τὴν καρδίαν αἷμα* ἢ *θερμῆς*. fervorem sanguinis aut caloris circa cor. Vel Damasceno lib. 2. orthodoxæ fidei cap. 16. *θυμὸν* definiunt *ζέον τὸ πρὸς τὴν καρδίαν αἷμα* ἐξ *ἀναθυμιάσεως τῆς χολῆς ἢ ἀναθλώσεως θυμῶν*. fervorem sanguinis circa cor, ex evaporatione aut commotione cordis malum. Quæ definitio totidem verbis extat apud Nemesium de Natura hominis cap. 21.

A

2. Sid

2. Sed sequemur eam, qua nostro instituto est convenientior ac in civili doctrina, qua limitatam illam & exquisitam docendi subtilitatem non admittit, optimo jure toleratur. Ea vero, ut aliorum finitiones, quarum plerasq; Lactantius lib. De Ira Dei cap. 17. ex Seneca, apud quem tamen hodie non reperitur, recenset, hoc loco pratereamus, ab Aristotele alia atq; alia traditur. Nam lib. 6. Topie. cap. ult. Iram dicit λύπην μετ' ὑπολήψεως τῶ ὀλιγορείου, dolorem qui ex opinione contemptus oritur. Et lib. 8. Iram vocat ὄρεξιν πρωγίας Διὰ Φαινομήν ὀλιγορείαν cupiditatem puniendi ejus, qui nos parvi fecisse videbatur. Rursus lib. 1. de Anima cap. 1. desinit iram ὄρεξιν ἀντιλοπίσεως cupiditatem doloris reponendi ut Seneca lib. 1. de Ira, vel rependendi ut Lactantius d. l. interpretatur. Sed omnium plenissima est illa, quam lib. 2. Rhetor affert: Ἐστὶ δὲ ὄργη ὄρεξις μετὰ λύπης πρωγίας Φαινομήνης Διὰ Φαινομήν ὀλιγορείαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτὸν ἕκαστὸν μὴ προσήκοντως. Ira est cum dolore conjuncta cupiditas sperata ultionis propter apparentem contemptum, quo quis vel se vel suorum quempiam, contra quam oportuit, affectum esse putat.

3. In sede quoq; huic affectui assignanda magna est veterum dissensio. Sunt qui ut frontem pudoris, ita ira sedem esse Nares existimarunt. Inde est illud Theocriti non procul à principio Idylli primi:

Καὶ οἱ εἰς ὀρυμῆα χολὴν ποτὶ ρῖνι κέχυται.

Nam gravis illius sub naribus astat ira.

Et istud Herodoti antiqui item Poeta:

Μὴ δὴ κόρη τὸ πλὴν χολῆν ὄπι ρῖνος

Ἐξ εὐθὺς, ἢν τι ῥήμα μὴ σφόν πέσῃ.

Persium quoq; satira K. dixit: Disce: sed ira cadat naso, rugosaque fanna. Et ante illum Plautus in Amphitryone: Fames & mora bilem in nasum conciant.

4. Præbuit occasionem huic sententia insimul & dicendi generi, quod in omni gravi commotione, maxime autem ira,

ἔπινα

Spiritus concitatus ac velut aestuans, copiosius & vehementius ebullit, naresq; erumpendo dilatat. id quod cernere est maxime in brutorum generosissimis, equo, tauro, leone. Hinc Adamantio $\rho\iota\nu\delta\varsigma\ \tau\acute{o}\ \acute{\alpha}\nu\epsilon\sigma\tau\epsilon\nu\ \lambda\epsilon\tau\acute{\alpha}\delta\upsilon\nu\ \sigma\tau\alpha\upsilon\lambda\acute{\epsilon}\nu\ \tau\iota\omega\ \acute{\alpha}\rho\gamma\lambda\acute{\alpha}\ \sigma\upsilon\mu\alpha\iota\upsilon\epsilon\iota$, lib. 2. $\Phi\upsilon\sigma\iota\sigma\tau\omicron\gamma\omega\mu\omicron\nu\iota\kappa\acute{\alpha}\nu$. Et apud Hebraeos eidem vocula & narium & ira significationem tribuit, norunt lingua ejus periti. In S. Scriptura quoq; nares vento vel fumo incensa iram gravissimam & presentis ultionis gravidam significant 2. Regum 22. v. 9. Job. 39. v. 23.

5. In Auribus habitare iram dixit olim Xerxes ad Pythium Lydum illum, qui Regis exercitum atq; ipsum Regem magnificentissimo convivio excepit. Cum enim is quinque filiorum pater à Xerxe peteret, ut sibi ex illis maximum natu in solatium relinqueret, reliquorum opera in bello adversus Gracos ateretur, indignatus Rex in hac verba erumpit: $\acute{\omega}\ \kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\ \text{Αυθράπτε}\ \epsilon\upsilon\ \nu\omega\upsilon\ \tau\acute{o}\delta\prime\ \acute{\epsilon}\xi\ \epsilon\mu\acute{\iota}\sigma\tau\omicron\sigma\iota\ \acute{\omega}\varsigma\ \epsilon\iota\ \tau\acute{\iota}\sigma\iota\ \acute{\omega}\sigma\iota\ \tau\acute{\omega}\nu\ \acute{\alpha}\nu\theta\upsilon\acute{\omega}\pi\acute{\alpha}\nu\ \acute{\alpha}\iota\kappa\acute{\epsilon}\iota\ \acute{o}\ \text{Ζυμ\acute{o}\varsigma}$. Et mox illum, quem elegerat pater, filium in duas partes diffecit ab utroq; via latere posuit, & hac victima lustravit exercitum. Herodotus lib. 7. Ratio hujus sententia est, quòd cum grata & jucunda auribus percipimus, tam voluptate quadam perfundamur, cum verò molesta & indigna, ad iram facillè conitemur.

6. Alij in Hepate iram collocarunt Archilochus apud Athenaeum: $\chi\omicron\lambda\lambda\acute{\omega}\ \delta\prime\ \acute{\alpha}\nu\ \acute{\epsilon}\chi\epsilon\iota\varsigma\ \epsilon\iota\ \eta\ \pi\acute{\alpha}\tau\eta$. Horatius lib. 1. od. 13. vix meum Fervens difficili bile tumet jecur. Et satira 9. lib. 1. meum jecur urere bilis. Juvenalis sat. 1. Quid referam, quanta ficeum jecur ardeat ira?

7. Alij in Felle. Plinius lib. 11. cap. 37. Sed in felle nigro insanix causa homini morsq; toto reddito. Hinc & in mores erimen Bilis nomine. adeo magnum est in hac parte virus, cum se fundit in animum. Virgilius lib. 8. Aeneid. Alcidae furij exarserat atro Felle dolor ubi Servius: Quo, inquit, irascimur secundum Physicos, ut splene videmus Lactantius de Vero

cultu cap. 15. Quod si, ut medici dicunt, lætitiæ affectus in splene est, iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde &c. *Idem in de Opificio Dei cap. 14.* Atq; hanc ob causam qui Junoni nuptiali rem divinam faciebant, cum victimâ fel non consecrabant, sed exemptum post aram abijciebant, innuente Legum latere, bilem iramve debere longissimè à connubijs abesse teste *Plutarcho in præceptis connubialibus.* Hinc etiam Bilis pro ira sapissimè à bonis autoribus usurpatur.

8. *Alij in Corde.* *Homerus Odys. I. de Ulysse jam jam prociis interitum meditante* *κεχθιδὴν δὲ οἱ ἐνδον ὑλάττει.* id est, cor ei intus latrabat. Et *Iliad. I. sub persona Achillis:* *Αλλὰ μοι ἰδάνεταί κεχθιδὴν χόλω,* quod *Cicero lib. 5. Tuscul. sic vertit:* Corq; meum penitus turgescit tristibus iris. *Virgilius 6. Æneid.* tumida ex ira tum corda residunt. Atq; hæc quidem sententia est omnium verissima & à summis Philosophis approbata.

9. Quod verò modò hepatis, modò felli, modò cordi sedem ira scriptores attribuant, hæc videtur causa esse, quod hepar, ut medicorum ac Philosophorum principes statuere, vitæ quodammodo principium, fons ac velut officina quedam sanguinis est. In medio verò hepate vesicula illa sive folliculus fellis atq; bilis, (*χολὴν* vocant Græci) continetur. Bilis autem cum pars sit sanguinis calidior, veluti spuma ebulliens atq; inde redundans ad cor, acrimonia sua iram concitare atq; ardentiores impetus facere, & pro cuiusq; ingenio ac rei objecta indignitate magis minusve nos accendere existimatur. Sed hæc *Φυσικῶτες*, quæ persequi non est nobis propositum.

10. Sunt deniq; qui toti pectori ira domicilium attribunt. *Seneca lib. 2. de Ira cap. 19.* Volant quidam ex nostris (*Stoicos intellige*) iram in pectore moveri, effervescente circa cor sanguine. Causa cur hic potissimum assignatur ira locus, non alia est, quàm quòd in toto corpore calidissimum pectus est. *Quo videtur & Claudianus respexisse in IV. Consulatum Honorij:*

Iram.

Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit, imbutam flammis avidamq; nocendi
Præcipitemq; sui.

11. *Quin etiam cum pectus ipsam, in quo hæc viscera continentur, veteres Stomachum appellarint, ut patet ex Horatio lib. 1. Od. 16. v. 16. hinc stomachum facere ac movere pro ad iram concitare & stomachari pro irasci dixere, maxime quod irati toto pectore intumescimus; Unde sufflare se pro irasci Plautus in Casina Scenâ Stultitia. & sufflatum pro irato in Bacchidib. posuit: Ad quam formam ira sufflatum dicit Zeno Veronensis sermone 7. de tribus pueris: Ipsum contempserunt Regem, qui ira sufflatus solito septies amplius caminum iussit incendi. Eadem etiam de causa in fermento esse pro θυμῶδαι, Φλεγμαίνειν τῶδ ἰσθμῶδης legitur apud Plautum in Casina, ubi senex de uxoris bile loquens, ait:*

Nunc in fermento tota est: ita turget mihi.

C A P U T I I.

Ob quas causas Quibus irasci soleamus.

1. *IRA, ut ex definitione patet, oritur ex neglectu vel ὀλιγωρίᾳ, quæ teste Aristotele lib. 2. Rhetor. nihil aliud est quàm ἐσέργητα δόξης πᾶσι τὸ μηδενὸς ἄξιον φαινόμενον. h. e. ita de re aliqua opinari, ut ea nihili facienda videatur.*

2. *Quemadmodum n. & bona & mala & quæ ad ea pertinent digna studio ducimus; bona quidem ut aliquid emolumenti nobis afferant, mala verò ut eorū detrimenta fugiamus: Unde & veteres tam malos quàm bonos Deos venerabantur, hos quidem ut prodesse, illos verò ne obessent, teste Agellio lib. 5. Noct. Attic. c. 12. Ita è contrario ex quibus nec boni nec mali aliquid ad nos pervenire posse putamus, ea plerumq; nihili facienda arbitramur. Id quod non obscure indicat Cicero lib. 2. officior. Despiciunt eos & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. non enim omnes eos contem-*

A 5,

nunt.

nunt, de quibus malè existimant: nam quos improbos, maledi-
cos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam instructos,
eos haud contemnunt quidem, sed de ijs malè existimant. quam-
obrem ut antè dixi, contemnuntur ij, qui nec sibi nec alteri
profant, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nul-
la cura est, admiratione quadam vero afficiuntur, qui anteire
ceteros virtute putantur. *Negligimus igitur ea, qua nullius
esse momenti opinamur.*

3. *Verùm cum opinio nos plerunq; fallat, fit ut etjam ne-
gligamus, ac nullum aut perexiguam momentum habere pute-
mus ea, qua magni ponderis sunt. Ex hac negligentia nascitur
Ira vel in nobis contra alios, vel in alijs contra nos. Nemo enim
tam abjectè de se sentit, ut non animo commoveatur, ubi se
suasq; negligi intelligit.*

4. *Hujus neglectus Aristoteles tria genera statuit, Κατα-
Φέρων, Επηείασμὸν, & Ἰδέω: Latine vertere possumus.
Contemptionem, Incommodationem & Contumeliam.*

5. *Καταφέρων est merus despectus, puta cum quid par-
vi pendimus ac floccifacimus, licet non incommodemus, ut non
salutare, non honorare, ad colloquium non admittere. &c.*

6. *Επηείασμὸς est studium impediendi ea, qua alius vult
non ut is, qui alium impedit, fructum ullum ex eo percipiat,
sed tantum ne ille alter id quod vult consequatur; ut aliquem in
studijs inturbare, in itinere detinere, currentem ad metam
impedire. Hoc enim qui facit, nec ullum in eo commodum suum
sequitur, is certè illum alterum negligit: quo ipso non obscure
indicat, se eo animo esse, ut firmiter credat, se ab illo nec ladi
posse, nec ulla in re, qua quidem momenti quid habeat, adju-
vari. Non ladi, nam metuisset potiùs tanquam valentiozem,
non neglexisset: Non adjuvari, si enim hoc speraret, amicitiam
illius expeteret.*

7. *Ἰδέω est ea facere aut dicere, qua cum alterius igno-
minia sunt conjuncta; non ut is qui facit, commodum ullum ex
eo con-*

eo consequatur, neq. quod ei quidquam factum sit, cur id facere
debeat, sed ut libidini suae obsequatur. Cujus rei exempla
habemus apud Graecos quidem in Alcibiade, qui pro delecta-
mento habebat obvios pulsare & pugno percutere, teste Plutar-
cho in ejus vita: Apud Romanos verò in Neratio, qui comitatus
seruo crumenam astitum plenam portante per urbem incedebat,
ac quemcunq. manus sua palma verberasset, ei XXV. asses se-
cundum XII tab. numerari jubebat. Agell. l. 20. c. 1.

8. Haec sunt tria illa neglectus genera, quorum unum-
quodq. ad iram aliquem movere facile potest. Verum ut hanc
rem paulo accuratius persequamur, Quibus potissimum irasci
soleamus, breviter subnectemus.

9. At primò quidem irascimur ijs, qui nos derident, qui
dictis aculeatis mordent ac configunt, qui ludibrio habent, si ve
post tergum nostrum manum incurvent in ciconiam, si ve opposi-
to temporibus pollice ac manu commota sannam nobis faciant, si-
ve linguam exerient ad nostri contumeliam, si ve adunco naso
nos suspendant, aut alia quadam hujusmodi ratione dehonestent.
Sic populus Rom. exarsit in P. Scipionem Nasicam, qui cum a-
dilitatem curulem adolescens peteret, manumq. cujusdam rusti-
co opere duratam amore candidatorum tenacius apprehendisset,
joci gratia interrogavit, num manibus solitus esset ambulare.
Quod dictum à circumstantibus exceptum, ad populum mana-
vit, causamq. repulse Scipioni attulit. Omnes namq. rustica
tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam judicantes, iram suam
adversus contumeliosam ejus urbanitatem distrinxerunt, ut ait
Valer. Max. lib. VII. cap. 5.

10. Deinde etiam irascimur ijs, qui talia damna inferunt,
in quibus sit quaedam ludibrii ac contumelia significatio. Nam
qui laedit vel ut acceptum dolorem ulciscatur, vel ut res suas in-
de meliores faciat, is non videtur contumeliam facere.

11. Ira etiam concitatur in eos, qui nos vituperant ac con-
temnunt

temunt ijs in rebus, in quibus maximum studium ponimus, ut qui in Philosophia non magni pretij esse dicat eum, qui honorem captat è studio Philosophia, aut de forma eorum detrahat, qui se formosos videri student. Hoc n. qui faciat, is statim alterius iram in se concitaverit, praesertim si is, qui expers alicujus boni arguitur, suspicetur ea, quibus ornatus videri studet, nondum sibi inesse. Ut Poëseos studio deditus adolescens, qui quidem famam ex carmine captat, sed nondum eam scribendi facultatem affecutus est, ut versum pedibus instruere ac sensum teneriorem verborum ambitu intexere possit, iram cohibere nequit, ubi se reprehendi ac vituperari intelligit. Si vero se egregie instructum putet ijs bonis, in quibus pungitur, tum quid de se dicatur, non magnopere laborat. Ut si quis Apellem dixisset ineptum esse pictorem, aut Phidiam imperitum statuarium, aut Demosthenem impolitum oratorem, aut Aristotelem malum Philosophum, aut Hippocratem infelicem medicum, aut Helenam deformem, non magna, eos molestia affecisset, cum rem se aliter habere, sibi ipsis bene essent conscij.

12. Et qui antea nobis honorem exhibere, nostriq; curam suscipere consueverunt, si postea idipsum facere desinant, erga illos solemus ira exardescere: existimamus enim nos ab illis despici ac contemni.

13. Iis etiam irascimur, qui à nobis beneficio affecti, non vicissim benefaciunt, aut si gratiam reddere ceperint, non autem ^{ut} ^{ut} ^{ut} eandem reponant. Videntur enim nos contemnere, tanquam inferiores essemus, qui ex debito hujusmodi officia prestare tenebamur, nec illa sine crimine praetermittere poteramus.

14. Iis, qui contrariis rebus student, si fortunis opibusq; inferiores fuerint. Nam & hi nos despiciatui habent: alii enim nobis non adversarentur.

15. Iis, qui ex infortuniis nostris letitiam cupiunt, nec ullam

lum dolorem ostendunt ob res nostras adversas: alterum enim inimici signum est, alterum ejus qui parvi facit.

16. *Iis, qui non curant, sive nos molestia afficiant, sive non afficiant, unde fit, ut ijs, qui mala nobis nunciant, irascamur.* Nam ut Sophocles in *Antigona* ait, Σίγγει ᾧ ἐδέεσ ἀγγελοῦ κρητῶν ἔπαι. Nemo est malorum nuntium qui diligit. Et *Birria Terentianus* hero suo rem ingrata nunciaturus, inquit *Act. 2. sc. 5. Andr.* Renunciabo, ut pro hoc malo mihi det malum. *Idipsum cum non ignoraret nuntius ille in Phœnissis Euripid. à Jocastra adduci vix potuit, ut post longam rei feliciter gesta narrationem alia ingrata de fratrum duello subjungat.*

17. *Iis, qui aut audiunt que nostram existimationem laedunt, aut nostrarum miseriarum spectatores esse possunt. Qui enim hoc faciunt, similes sunt aut contemnentibus aut inimicis.* Si enim nos magnificerent aut ex animo amarent, nunquam aures præberent ijs, qui famam nostram sugillant, non etiam siccis oculis aut sine commiseratione nostras calamitates spectarent.

18. *Iis, qui cum serio agimus, nobiscum super ea re dissimulantes quasiq; jocantes loquuntur. Est enim talis dissimulatio quiddam contemptui affine.* Ita *Socrates* dum quasi perpetua ironia utebatur, omnium ferè rhetorum atq; etiam multorum aliorum iram in se concitabat.

19. *Iis, qui propensi sunt ad benefaciendum alijs, nobis verò non benefaciunt.* Nam & hoc contemptus significationem habet, quod alijs omnibus tribuas, id uni alicui non tribuere. Sic *Tigellius* agrè tulit *Cicronem* alios multos defendere, suam verò causam nolle suscipere, ut patet ex *Epist. 24. lib. 7. ad famil.*

20. *Deniq; iram commovendi vim habet etiam oblivio.* Indignantur enim homines, cum brevi temporis spatio è memoria ejus effluunt, quem sibi amicum esse existimabant. Est enim argumentum ὀλιγομενίας, nam que in pretio apud nos sunt, ea ex animo funditus non dimittimus: que verò non curamus, ea facile

B

nobis

nobis è memoria clabuntur. Itaq; olim candidati Romæ ne quem in eo genere offenderent, Nomenclatoribus utebantur, qui quòd clam velut infarcirent nomina saluatorum in aurem candidati, etjam Factores dicti sunt teste Festo. Atq; hoc fuit potentiorum blandimentum circa inferiores, ut nomina eorum quærent: & quum audissent, ipsis nominibus eos compellarent statim, ut ait Donatus ad finem Phormionis. Sic Cyrus Persarum Rex omnium militum suorum nomina memoria mandasse legitur, ut proprio nomine eos blandius appellando, ad amandum se alliceret. Hinc etjam diuturnum silentium excusaturi dicere solent, se non oblivione amicitia, sed alijs negotijs à scribendo abstinuisse: ut Cicero lib. 5. ad Sestium: Ep. 17. Non oblivione amicitia nostræ, neq; intermissione consuetudinis meæ superioribus temporibus ad te nullas literas misi.

21. Nec verò irascimur solùm cum nobis tale quid contingit, sed & cum alijs, quorum curam suscipere debemus, ut sunt parentes, liberi, uxor, subditi, fratres, sorores, consanguinei, affines, amici, quos qui deserit, nec cum opus est ab injuria tuetur, grande dedecus admittit.

22. Præterea etsi quidem omnibus irascimur, qui se ita, ut diximus, adversum nos gerunt: augetur tamen ira primò si amicus erat, qui nos injuria affecit. Cum enim hic nos potiùs ornare & novis commodis augere debeat, quàm partis jam ornamentis spoliare, graviter excandescimus, si quando ab illo offendamur. Hinc proverbio dici solet: Fratrum iras esse acerbissimas.

23. Deinde etjam irascimur amicis tum si ullam benedicens aut benefaciendi occasionem prætermittant, tum multò magis, si contraria faciant, id est, si vituperent nos aut incommodis afficiant. Atq; hæc causa est, cur Serv. Sulpitius gravissimè rulerit, Ciceronem amicum suum familiaritatis & necessitudinis oblitum causam L. Murena contra se defendisse, ut patet ex orat. Ciceronis pro Murena.

24. Quin

24. *Quin etiam tum irascimur amicis, si nostram indigentiam non animadvertant, nec quibus in angustijs versemur, intelligant. Antevertere enim amicis sua promptitudine petitionem amici debet: quod Cicero fecisse se scribit Bruto, cum ait: De sororis tuæ filijs, non expectavi Brute, dum scriberes, quasi dicat, nullo monente se sensisse, quid Brutus maximè expecteret. Ex adverso Sat. 9. lib. 1. Horatius irascitur Fusco Aristio, quod is dedita opera intelligere nollet, qua re tum Horatius maximè indigeret. Huc pertinet stomachus Bruti in quadam Epistola ad Ciceronem: Scribere multa ad te neq; possum pro sollicitudine ac stomacho, neq; debeo. Nam si in tanta re tamq; necessaria verbis mihi opus est, ad te excitandum & confirmandum, nulla spes est, facturum te quod volo. Quare noli expectare longas preces.*

25. *Major quoq; ira commovetur, cū qui nos contemnunt & aspernantur, ipsi aut nullo loco & numero sunt, aut genere, opibus, virtute, aliqua re alia nobis longè inferiores. Postum est enim iram excitari, cum quis ab ijs parvi sit, à quibus non convenit. Convenit autem inferioribus non parvi facere prastantiores, sed eos colere ac observare, & nisi hoc fecerint, iram illorum sibi facilè conciliant. Sic Ajax apud Ovid. in Metamorph. indignatur, quod Ulyses secum contendere de armis Achilles aude- ret, cum robore corporis multò esset inferior.*

26. *Deniq; ira vehementius exaspuamus in eos, qui nos parvi pendunt apud hæc quinq; hominum genera. 1. apud eos, quibus cum de honore contendimus. Est enim ita comparatum, ut cupiamus adversarios vel competitores nominis nostri gloria detertere: at verò si illi nos negligi viderint, non solum à contentione illa non desistent, sed & majores animos sument, atq; adeo vix dignos nos judicabunt, qui secum in certamen de honore veniamus.*

27. *Secundò apud eos, quos ipsi admiramur. Horum enim benevolentiam ac amorem nobis acquirere nostra illa observantia*

*Sudemus: atq; ideo permolestum nobis accidere solet, cum fama
& existimatio nostra apud illos sugillatur: metuimus enim ut
spe illa, quã de benevolentia illorum jam conceperamus, hoc mo-
do deiciamur.*

28. *Tertiò apud eos, quos volumus habere admiratores no-
stri. Cum enim jucundum nobis sit esse alijs admirationi non fá-
cile vellemus extingui aut minui in animis ipsorum hanc de præ-
stantia nostra opinionem.*

29. *Quartò apud eos, quos veremur: ut apud graves ac
sapientes homines. studiosè enim cavere solemus, ne hi videant
notam aliquam nobis inuri. Sic Turnus excanduit, cum se à
Drante coram Latino Rege, quem verebatur, negligi animad-
verteret: unde Virgilius*

*Talibus exarsit dictis violentia Turni
Dat gemitum, rumpitq; has imo pectore voces.*

30. *Quintò apud eos, qui nos verentur, cum enim cultu
illorum observantiaq; delectemur metuimus ne contemptu hoc ju-
dicium illorum amittamus. Quare si quis patrem apud filium,
aut præceptorem apud discipulos negligat, merito illi pater & præ-
ceptor irascetur.*

31. *Notandum v. non semper propter factum ipsum iram con-
cipi, sed & propter facti deliberationem, ut cum intelligimus ali-
quem esse, qui statuit nobis malefacere, statim illi traſcimur, et-
iamsi nondum offenderit.*

32. *Imò etjam ex opinione contemptus non raro ira nasci-
tur. Sic Cambyses Persarum Rex cum ducto exercitu contra
Æthiopes, qui ob longissimum vitæ spatium Macrobij appellan-
tur, magnam partem militum amisisset, & Memphim reversus
omnes Ægyptios festum diem agere propter Apis apparitionem vi-
disset, ratus id in suam contumeliam fieri, quasi sibi ob rem infe-
liciter gestam insultarent, sacerdotes flagellari, & Ægyptios fe-
riantes interfici curavit, ipse verò Apim lethaliter vulneravit.
Herodot. lib. 3.*

Hic

33. Hic verò notandum, quò leviores ac iniquiores sunt causa, qua nos ad iram commovent, eò illas pertinacius plerunq̄ habere. Seneca lib.3. c.29. Deinde quainvis vana nos concitaverint, perseveramus, ne videamur capisse sine causa: & quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas iræ. Tangit id Tacitus lib.1. Annal. ubi de Germanico: Ipse Druso fratre Tiberij genitus; Augusta nepos: sed anxius occultis in se patriaviæq; odijs, quorum causa acriores, quia iniquæ.

34. Atq; hoc cum in omni hominum genere verum est, tum in Principibus verissimum. Cum enim hi nunquam velint videri errasse se, ideo adversum quos semel injustam iram conceperunt, urgent ad extremum, ne principio parum justas irascendi causas habuisse videantur. Unde fieri solet, ut facilius veniam impetrent à multis Principibus, & minori labore cum eis in gratiam redeant, qui jure illorum iram in se provocarunt, quam si quibus ipsi principes sine ulla justa causa irasci ceperunt. Nam si illis ignoscant, vident paratam sibi clementia ac misericordia laudem: hos si in gratiam recipiant, verentur ne hoc ipso prateriti temporis injustitiam ac iniquitatem agnoscere videantur.

CAPVT III.

Quinam sint ad iram procliviores.

1. Atq; hæc quas diximus, causa omnes quidem homines ad iram inflammare solent, facilius tamen & magis eos, qui animo sunt angusto minusq; ad judicandum firmo. Ut enim imbecilla corpora à vento, sole, frigore, caterisq; incommodis facile afficiuntur: sic etiam animi exiles ab ira impetu magis divexantur. Et quemadmodum Plutarchus ait in lib. πει ἀοργησίας, De non irascendo: ὡς οἰδηρεὶ μεγάλῃς ἔστιν ἐν σαρκὶ πλεονεξία πάθος, ἕτως ἐν ταῖς μελαγχολίαις ψυχαῖς, ἢ πλεονεξία τὸ λυπήσαι ἐνδοσίαις ἐκφέρει μείζονα θυμὸν ἀπὸ μείζονος ἀδελείας. Διὸ καὶ γυναικες ἀνδρῶν ὀργιλωτέραί, καὶ νοσῆντες

B 3

ὕμναι-

ὀργισμένων, καὶ γέροντες ἀκμαζόντων καὶ κακῶς περσθέντες
 εὐτυχέων. Ut ulcus aut tumor affectus est plaga alicujus magis
 in carnem infligitur, sic in mollissimis animis inclinatio ad dolen-
 dam exprimit & effert majorem iram à majore imbecillitate.
 Ideoque & feminae maribus iracundiores sunt, & incolumibus
 languidi & juvenibus senes & felicibus ærumnosi. Cui conve-
 nienter *Ammianus Marcellinus lib. XXVII. ubi de Valentiniani*
ira loquitur: Haec esse animi ulcus diuturnum, interdumque
 perpetuum prudentes definiunt; nasci ex mentis mollietate con-
 suctum. id asserentes argumento probabili, quod iracundiores
 sunt incolumibus languidi, & feminae maribus & juvenibus se-
 nes, & felicibus ærumnosi.

2. *Porro feminas esse ad iram pronas & vindicta mi-
 rum in modum cupidas, prater quotidianam experientiam, et-
 jam multi autores testantur. Juvenalis Satira 6.*

— quoties facit ira nocentem.

Hunc sexum & rabie jecur incendente, feruntur
 Præcipientes, ut saxa jugis abrupta, quibus mons
 Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.

*D. Chrysostomus homil. in Decollationem Johannis: Mu-
 lier si injuriam patitur insanit. Propertius libr. 3. Eleg. 14.
 ad Cynthiae:*

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam:
 Nescit vestra ruens ira referre pedem.

*Alexis Poëta apud Athenæum lib. 13. iram virorum melli af-
 similat præ ira mulierum: sic enim ille:*

Ἡ τῶν γὰρ ἀνδρῶν (χολῆ) ὄντι πρὸς κείνῃ (γυναι-
 κείαν) μέλι.

Οἱ μὲν γὰρ συγγράμην ἔχουσ' ἀδικήματα,
 Αὐτῆ δ' ἀδικίᾳ καὶ πρὸς συγγράμην ἔστι.

*Palladas hoc muliebri vitium adhuc gravius expressit Epi-
 grammate quod extat lib. 2. Anthol.*

Πᾶσα γυνὴ χολῆ ὄντι ἔχῃ δ' ἀγαθίας δύο ὄρας
 Πῶ μίαν ἐν θαλάμῳ, πῶ μίαν ἐν θανάτῳ.

Tota

Tota ira est mulier: sed habet duo tempora leta

Hoc quidem ubi in thalamo est, illud ubi in tumulo.

De vindicta a cupiditate qua sexus hic laborat eleganter
Juvonalis Sat. 13. Vindicta Nemo magis gaudet quam femina.
Unde Hecuba apud Euripidem toto vita sua tempore servire
non recusat, si modo inimicos ulcisci possit. τὴς κερκὸς δὲ τιμωρα-
μῆν. Αἰῶνα τῶν συμπαῖτα δαλεῦσαι θέλω.

3. De Senibus Cicero de Senect. At sunt morosi, anxij,
iracundi & difficiles senes. Græcis δυσσεροὶ vocantur. Sic
enim Teucer apud Sophoclem in Ajace Lorario appellat Telamo-
nem patrem suum atate jam confectum, quem ob eadem Ajacis
sibi irasciturum pravebat: Ἀνὴρ δυσσερὸς ἐν γῆρα βαρῦς.
Illustrat hanc senum morositatem eleganti similitudine Incertus
auctor lib. 1. Anthol. cap. εἰς γῆρας:

Ἀν' ἀειλαφθῆ μίκεν ἐν ἄγγελσιν ἡδέε' οἶνα

Εἰς ἄξυ τρέπεται τῆτο τὸ λειπόμενον.

Οὕτως ἀντλήσας τὴν ὄλον βίον, εἰς βαθὺ δ' ἐλθὼν

Γῆρας ὁ πρεσβύτης, γίνεται ὀξύχολος.

4. Nec verò senes solùm, sed & pueri facillè irascuntur.
Parmeno Terentianus in Hecyr. Act. 3. sc. 1.

Pueri inter sese quàm pro levibus noxijs iras gerunt!

Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, in-
firmum gerunt.

Lucianus in Fugitivis, ubi Philosophia de malis Philoso-
phis conqueritur: τὸ ὀξύχολον καὶ μικραίτιον καὶ πρὸς τὴν ἐρ-
χλὴν ῥάδιον ὑπερ τὰ βρεφύλια τὰ νεογνά. Luculenter quoque
Chrysostomus homil. 41. in Act. Apostolor. Τὶ ἴ' κερκαλασίτι-
ον; τίδ' ἐ ψυχρόπεον ψυχῆς ὀργισμένης Δα' πιντός, καὶ βα-
λομένης ἰπεξελεθῆν; γυαικώδης αὐτῆ ἡ πρσαίρεσις καὶ παγ-
δική. τὸ γὰρ ὑπὸ θυμῷ κερταῖωται, παδικῆς Δρανοίας. τὸ δὲ
κερταῖν, ἀνδρειότης.

5. Hoc autem inter Senum & puerorum iram interest,
quod Senes graviores iras concipiunt, neque eas facillè deponunt:
Pueri

Pueri verò facile quidem irascuntur, sed & facile rursum placantur. Unde Horatius De Arte pueri mores describens, ait,

— gestic paribus colludere & iram

Colligit ac ponit temerè & mutatur in horas.

Et D. Ambrosius lib. 1. officior. cap. 21. Ille deniq; commotiones in pueris innoxie sunt, quæ plus habent gratiæ, quam amaritudinis. Etsi citò inter se moventur; facile sedantur & majori suavitate inter se recurrunt. Nesciunt se subdole artificiosèq; tractare. Ita ergo te contempera, ut quasi puer injuriam non teneas, malitiam non exerceas, omnia à te innocenter proferantur. Atq; hanc iram in pueris esse optimam saepe indolis argumentum, egregie disputat Angelus Politianus, qui super hac re videndus.

6. Sed & ægrotos proclivius irasci, ac morbum esse tanquam segetem ac materiam ira, quamvis satis planum sit, confirmari tamen potest testimonio Iocratidis, qui in Aeginetico difficilis natura hominem morosorem morbo factum dicens, his verbis usus est: καὶ τὸ φύσιν χαλεπὸς ὢν ἐπὶ δυσκολώτερον ἀπὸ τῶν νόσων δέχεται. Huc refero claudos, gibbosos, monoculos, cacos, deformes, vel alia quadam corporis labe insignes, quos saepe videas nulla data occasione irasci, natura τῶν ἀναπήγων, qua potest, arma suppeditante.

7. De arumnolis quoq; & pauperibus res plana est. Cum enim existiment se ab omnibus contemni, facile excandescunt, præsertim contra eos, qui sibi impedimento sunt, quò minus levare paupertatem suam & ex arumna, cum qua conflictantur, emergere possint. Terentius Adelph. Act. 4. sc. 3.

Omnes quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quomodo

Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis

Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Quare bene præcipit Hesiodus, ne cuiquam paupertatem obijciamus:

Μηδέ-

Μηδέποτε ἐλομάρην πενήλω θυμοφθόρον ἀνδρεί
Τετραθ' ὀνειδίξεν, μακρόρων δόσιν αἰεὶ ἐόντων :

*Quemadmodum & perversissimi moris est in debilitatem a-
licuius dicta jacere: qua improbitas anathemate vindicatur in
clerico, Canone 57. eorum, qui Apostolici nominantur.*

8. Præterea Natura quoq; quosdam ad iram proclives fa-
cit. Nam quibus multum calidi sicciq; inest, illos vel levissima
de causa ad iram concitari, docent Physici. Ingeniosos quoq;
esse ad iram maximè pronos notat Plato in Theateto: Αλλ'
ἔτι οὕτως καὶ ἀγχίνοι καὶ μνήμονες, ὡς τὴ πάλαι καὶ πρὸς
τὰς ὀργὰς ὀξύρροποι εἰσι, καὶ ἄπνοες φέρονται, ὡσαύτ' ἀνεγ-
μάπειαι πλοῖα, καὶ μνηικώτεροι ἢ ἀνδρείότεροι φύονται. At
verò sagaces & ingeniosi & memoriōsi ut plurimū etiam ad
iras propensi magis sunt, & subfiliētes ferantur, ut naves non
faburratæ, & furiosi magis quam fortes nati sunt.

9. Sed incidunt multa alia causa, qua idem possunt quod
Natura. Alios labor ad iram incitat. Plinius disertè dicit
lib. 22. c. 24. homines & in lassitudine proniores esse ad iracun-
diam & in siti. Vetus dictum est: A lasso rixam quari.
Sen. l. 3. c. 10. Alios continua pervigilia. Senec. l. 2. de Ira.
c. 20. Alios vinum largius haustum. Senec. d. l. Vinum in-
cendit iram: quia calorem auget pro cuiusq; natura. Alios fa-
mes & sitis Aristot. l. 2. Rhet. c. 2. Plinius & Senec. d. l. Pla-
tus in Amphitruone: Fames & mora bilem in nasum conciant.
Muliercula in Theocrito de marito suo iracundo: πείναντί-
η μηδέποτε ἐνθῆς. cfurienti haud obvius esto. Unde & qui
semel die cibum capiunt facilius excandescunt & moribus ple-
runq; existunt amarulentis, quemadmodum ex Apollonij Mirabi-
libus historijs refert Aristoteles.

10. Sape etiam amor ac desideria ad iram commovent: id
quod declarant rixa, vulnera, cades, qua plerunq; inter rivales
exoriri solent. Terentius in Heant. Novi ego amantium ani-
mum, advortunt graviter quæ non censeas. Et apud eundem in

C Eunū

*Eunucho Charea detestatur Archidemidem quod sibi impedi-
mento fuisset, quò minus virginem, quam deperibat, sequere-
tur: ita enim ait:*

*Ut illum Dij Deaq; senium perdant, qui me hodie ra-
moratus est;*

*Meq; adeo qui restiterim. Et paulò post: id equidem.
Adveniens mecum stomachabar modò. &c.*

*ii. Deniq; fieri etiam solet, ut anni aut diei tempus vel
locus nos ad iram proniores reddat.⁹ Nam si in publico loco quis
reprehendatur aut offendatur, citius iram concipiet, quam si pri-
vatim laesus esset. Facilius quoq; ad iram impellimur diebus tri-
stioribus & quibus res aliqua adversa nobis contigerunt, quam
ludis & festis diebus quibusq; aliquid prosperum consequuti su-
mus. Sic Caprarius apud Theocritum ait Pana meridie ad
iram proclivius incitari, quod tum venatione defatigatus somnum
capiat. Idyll. 1. Alfonso quoq; Arragonie Regem, cum ipse
cenanti quidam senex garrulus & importanus obstreperet, ira-
tum dixisse ferunt: Asinorum potiore esse conditionem quam
Regum: nam illis, dum pascuntur, parcere dominos: sed Regi-
bus ne tum quidem aliquid quietis concedi. *Æn Sylv.* de di-
ctis & factis Alph.*

C A P V T I V.

Quæ incommoda ex Ira promanent.

*i. Ob quas causas Quibus irasci cum omnes quidem ho-
mines soleant, tum verò ij qui ad iram proniores sunt, vidimus:
sequitur ut incommoda quoq;, quæ ex ira plerumq; proveniunt,
breviter recenseamus. Ac primò quidem Ira mentem, nobi-
lissimam illam anime partem & divina particulam aera con-
turbat & à statu suo dimovet. Unde etiam Irati apud se non esse.
Terent. Heant. Actor. 5. sc. 1. præ iracundia Menedeme non sum
apud me. Et rursus cum iram ponunt ad se redire dicuntur.*

Idem

Idem Terent. Reprime iracundiam atq; ad te redi. Pub. Syrus :
Iratu cum ad se redit, sibi tum irascitur. Imò etiam eosdem di-
cimus exisse de potestate, hoc est, de consilio, de ratione, de
mente uti Cicero interpretatur lib. 4. Tuscul.

2. Quemadmodum autem oculus conturbatus non est pro-
bè affectus ad suum munus fungendum, & reliqua partes totum-
ve corpus à statu cum est motum, deest officio suo & muneri: sic
conturbatus animus non est aptus ad exsequendum munus suum,
quod est ratione bene uti. Rectè Homerus Iliad. α. iram fumo
assimilem facit. Nam ut fumus oculorum aciem vi mordicante
perstringit, ut vix ea qua ante pedes sunt videre possimus :
Sic ira iudicium rationis obnubilat, ne verum & rectum in-
tueri queat.

3. In quo autem homine rationis lumen extinctum est, is
parum aut nihil ab insano distare censendus est. Qua de causa
Ennius apud Cicer. 4. Tuscul. iram esse initium insaniam dixit.
Apollonius ad Macedonem apud Stob. τῆς ὀργῆς ἰσχυρῆς τὸ ἀνθρώ-
που κέντρον. Iracundiæ florem esse insaniam. Horatius lib. 1. Ep.
ad Lollium iram vocat brevem furorem. : Themistius orat. 3.
ὀλιγοχρόνιον κέντρον brevem insaniam. Et inter M. Catonis a-
pophthegmata refert Plutarchus τὴν ὀργὴν ὁμιλοῦν τὸ κέντρον
χρόνιον ἀφάθειν. iram à furore non distare nisi temporis exi-
guitate. Hac pertinet illud Philemonis : κενόμεθα πάντες ὀ-
ργισθέντες. i. e. insanimus omnes cum irascimur. Et
μοχ : Ingentis iræ exitus furor est. Et Arnobij lib. 1. adversus
gentes : Quid enim est aliud irasci, quam insanire, quam fure-
re, quàm in ultionis libidinem ferri & in alterius doloris cru-
cem efferati pectoris alienatione bacchari? Item Hieronymi il-
lud in lib. de Virginitate ad Demetriadem (4. tom.) Quid autem
iracundo furor suus confert, quem levissimis exagitatam sti-
mulis conscientie ita ab omni consilio ac mente deturbar, ut
dum irascitur, insanire credatur? Ciceronis, Vergilij, Lucani,
C 2 & alio-

Et aliorum testimonia mitto, qui plurimis in locis Iram furorē comparant, Et de iratis tanquam furiosis loquuntur. Rationem verò subjungit Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. Ira enim æquē impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum inmemor, in id quod caput pertinax & intentata, rationi consilijsq; præclusa, vanis agitata causis, ad despectum æqui veriq; inhabilis, ruius simillima, quæ super id, quod oppressere franguntur.

4. Sed Et eadem ferè irascentium, qua insanorum signa. Nam quos ira invast, illis ardent Et scintillant oculi, Homerus Iliad. 4. Virgil. 12. Æneid. Lucret. libr. 3. alternis vultum maculat nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens. Senec. Med. v. 852. horrent ac subriguntur capilli, labia quatuntur, lingua titubat, comprimuntur dentes Actor. 7. v. 55. comploduntur sapius manus, pulsatur humus pedibus Et qua alia sunt furentium nota, quas omnes ira quoq; percitis tribuit Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. Et lib. 3. c. 4. Arnobius lib. 1. adversus gentes. Lactantius de Ira Dei. Agellius lib. 1. cap. ult. Chrysostomus homil. 3. in Johannem.

5. Quod si jam per omnes virtutes ire nobis esset animus, paucissimas sanè reperiemus, qua non ab ira contaminentur. Ejus rei exemplum nobis præbere poterit vel sola fortitudo, qua præ reliquis incitamentum capere ab ira existimatur. Atqui res ipsa docet, eos, quos semel transversos ferre ira capit, non solum nihil fortiter agere posse, sed etiam semetipsos non raro temeraria sua audacia in extremam perniciem præcipitare. Quid enim est aliud ut Seneca ait lib. 1. de Ira c. XI. quod Barbaros tanto robustiores corporibus, tanto patientiores laborum comminuat, nisi ira infestissima sibi? Et mox: Quid Cimbrorum Theutonorumq; tot millia superflua Alpibus ita sustulit, ut tantæ cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, nisi quod erat illis ira pro virtute? quæ ut aliquando perculit stravitq; obvia, ita sæpius sibi exitio est. Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus in-

bus innascuntur innutrienturque; quorum unica illis cura est, in alia negligentibus. Hos tamen Hispani Galli; & Asia Syriæque molles bello viri, antequam legis visatur, cadunt: ob nullam rem aliam opportunos, quam ob iracundiam. *Breviter: Quod de contentione Democritus dicebat, πῶσον Φιλένικας ἔναι ἀνόντων: τὸ γὰρ κατὰ τὸ δυσμῆδες βλαβέρον ἰωγῶσαι, τὸ ἴδιον συμφέρον ἐβλέπει: idipsum quoque de Ira rectè usurpare possumus. Est enim in temeritatem prona, & pericula dum inferre vult, non cavet.*

6. Hoc igitur cum animadvertent Lacedamonij in praelijs tibiærum modulis utebantur, quibus militum animi moderatiores fierent. nihil enim adeo in congregiendis hostibus atque in principijs praeliorum in salutem virtutemque aptius rebantur, quam si permulcti sonis mitioribus, non immodicè ferocirent, ut ait Agell. lib. 1. cap. XI.

7. Et rectè omnes boni Athleta, non cum ira suadet, feriant, sed cum occasio, ut ait Seneca lib. 2. de Ira. cap. 14. qui etiam d. l. autor est Pyrrhum maximum illum gymnici certaminis præceptorem his, quos exercebat, præcipere solitum fuisse: Ne irascerentur. Ira enim perturbat artem, & qua noceat tantum, non qua caveat aspicit.

8. Nihil jam dicam de Magnanimitate, de Mansuetudine, de Comitatus, de Iustitia de alijs viriutibus, quarum functiones ab Ira impediri tam clarum est, ut probatione non egeat.

9. Hoc etiam præterire non possumus Iram præcipitem non raro maximos animi cruciatus asferre, quoties nos panitere solet, si quid perperam à nobis per iracundiam gestum est. Nam Ira immoderata comes plerumque est poenitentia. Horatius libr. 1. Epist. 2.

— qui non moderabitur ira,

Infectum volent esse, dolor quod suaserit amens, ut legit Muretus lib. XVIII. Var. Lect. cap. 3. Alexander M. cum familiarem Clytium suum interemisset, vix à se manus ab-

finiuit: tanta vis fuit poenitendi, ut ait Cicero lib. 4. Tuscul. Videndum & Q. Curtius lib. 8. Dionysius Syracusanorum tyrannus cum pila ludere vellet, tunicamq; poneret, adolescentulo, quem amabat, Gladium tradidit, cumq; familiaris quidam jocans dixisset; Huic quidem certè vitam tuam committis: arrisissetq; adolescens, utrumq; iussit interfici, alterum quia viam demonstravisset interimendi sui, alterum, quia id dictum risa approbavisset. Atq; eo factò sic doluit, ut nihil gravius tulerit in vita. Cicero lib. 5. Tuscul. Sic Adrianus Imp. cum praeracundia calamum in oculum cujusdam familiarium impulsisset & ex ea plaga eum altero oculo privari animadverteret, tantum ex hoc factò dolorem capit, ut illi pro accepto hoc malo dona regia petendi potestatem fecerit: quae tamen ille refusavit, oculumq; repetijt, cujus amissionem nullo quantumvis insigni dono aestimari rependiq; posse arbitratur, teste Galeno lib. de dinoscendis & corrigendis affectibus. Ubi etiam idem autor narrat, se cum Roma in Graciam rediret, in comitatu amicum habuisse Cretensem quendam Gortyna oriundum, virum cateroqui laude dignum, sed adeo iracundum ut à famulis non abstineret manus. Hic igitur cum ex servulis pedisequis de re quapiam quereret, neq; esset, quod illi responderent, supra modum excanduit, & gladium, ut erat vagina reconditum, bis utriq; in caput impegit, & scissâ vaginâ bina ijs vulnera inflixit. Ut verò vidit plurimum sanguinis præter modum effundi, curriculo Athenas contendit, ne in suo conspectu servulorum alteruter periret: sed paucis diebus post cum illi valetudinem suam aliquo modo recepissent, Cretensis ille magno se supplicio dignum judicans, sibiq; graviter indignatus Galenum manu prebensum in ades quaedam introduxit, & data scutica nudatoq; tergo, iussit se flagris caedi, eò, quod execrabili ira paruisset.

10. Nec verò animo solùm Ira officit, sed & Corpori. Præterquam enim quòd habitum ejus, ut diximus, mirum in modum defor-

deformat, valetudinem etiam graviter laedit ac corrumpit.
Alij nimio fervore rupere venas & sanguinem supra vires elatus
clamor egessit, & plinum suffudit aciem in oculos vehemen-
tius humor egestus & in morbos acri recidere. ait Seneca lib.
2. de Ira cap. 36. Saepe nimia vis cadentis aut articulum loco
movit, aut nervum in his, quos fregerat, dentibus fixit. Multos
iracundia mancos, multos debiles fecit, etiam ubi patientia est
nacta materiam ait idem Senec. lib. 3. de Ira cap. 28. Galenus
lib. 5. de locis affectis. Grammatici cujusdam meminit, qui ira
corruptus statim incidebat in morbum comitiales. Eist autem
teste eodem Galeno lib. 2. de symptomat. causis ex Ira nemo qui-
dem confestim & sine mora interijt, (quemadmodum alios effuso
gaudio, alios nimio timore, alios pudore collapsos animam exha-
lasse legimus apud Plinium lib. VII. hist. natur. cap. LIII. Va-
ler. Maximum lib. IX. cap. XII. Agell. lib. 3. nosl. Attic. cap. 15.)
saepe tamen fit, ut gravissimi morbi ex ea procreentur, cujusmodi
sunt febres, serpigines, Apoplexia, Epilepsia & alia id genus mala,
qua mortem facile accelerant. Testantur id exempla L. Sylla, qui
Puteolis ardens indignatione, quod Granius princeps ejus co-
lonia a decurionibus ad refectioem Capitolij promissam cun-
ctantius daret, animi concitatione nimia atque immoderato vo-
cis impetu convulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum
evomit. teste Valer. Max. lib. 9. c. 3. & Plut. in vita ejus.
Et Valentiniani Imperatoris, qui cum Quadorum legatis la-
trocina excusantibus respondere vellet, & ira vehementi percul-
sus omnem nationem ut beneficiorum immemorem ac ingratis
verborum objurgatorio sono increparet, paulatim lenitus & ad
molliora propentior, tanquam ictus e caelo vitaliq; via voceque
simul obstructa, suffectus igneo lumine cernebatur: & repen-
te cohibito sanguine lethali sudore perfusus, ne laboretur spe-
ctantibus exsulibus concursu ministrorum vitæ secretioris ad
conclave ductus est intimum. Ubi locatus in lecto spiritus re-
liquias trahens, non multo post animam diu colluctatam efflavit.
teste

teste Am. Marcellino lib. XXX. De Wenceslao Bohemiae Rege simile quid narrat Cromerus lib. XVIII. Nam is ira percitus in pocillatorem suum, cum proprijs illum manibus interficere vellet, paralyti affectus concidit & paucis post diebus vita excessit.

10. Imò verò Ira multos etiam omnibus fortunis exiit, honorib. spoliavit & in paupertatem, in exilium, in servitutem, in orbitatem & alia mala coniecit. Seneca libr. 2. cap. ultim. Avaritiam durissimum malum minimumq; flexibile ira calcavit, adacta opes suas spargere & domui rebusq; in unum collatis iniicere ignem. Quid? non ambitiosius magno aestimata, ira projecit insignia honoremq; delatum repulit? Idem lib. 2. c. 14. Quosdam unius verbi contumelia non æquo animo lata in exilium projecit: & qui levem injuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt, indignatiq; aliquid ex plenissima libertate diminui, servile in se attraxerunt jugum. *Multis etiam Ira aditum ad honores ac dignitates preclusit. Seneca lib. 3. c. 5.* Ira patri luctum, marito divortium attulit, magistrati odium, candidato repulsam. *Cujus rei insigne exemplum extat apud Jac. Aug. Thuanum, qui lib. 5. histor. narrat Stephanum Nuellium magna autoritatis in Gallia virum, sed vehementem & iracundum amplissima cancellarij dignitate, qua ultro deferebatur indignum esse habitum, propterea quòd in pacis ad Crepiacum facta negotio, Dominicano illo monacho cujus mutua opera & Casar & Franciscus Rex tum utebantur, arrogantius, ut quidem ipsi videbatur, loquenti injuriosè manus intulisset, monente Turnonio nequaquam summo magistratui impotens & violentum ingenium convenire.*

11. Deniq; innumera quoq; cades & gravissima bella ex ira tandem promanare solent. Horatius lib. 2. od. 16.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere & altis urbibus ultimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditus, imprimerq; muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Exint

Extat in hanc rem insignis locus apud Senecam, quem totum hic adscribam & eo caput hoc obfignabo, Sic enim ille lib. 1. de Ira cap. 2. Iam verò si effectus ejus, damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris fterit. Videbis cades ac venena, & reorum mutuas sordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principum sub civili hasta capita venalia & subjectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucencia. Aspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia, hæc Ira dejecit. Aspice solitudines per multa millia sine habitatione desertas, hæc Ira exhaustit. Aspice tot memoria proditos duces, mali exempla fati: alium Ira in cubili suo confodit, alium intra sacra mensæ Ira percussit, alium inter leges celebrisque spectacula fori lancinaavit, alium filij parricidio dare sanguinem iussit, alium servili manu regalem aperire jugulum, alium in cruces membra dividere. Adhuc singulorum supplicia narro. Quin tibi si libuerit, relictis in quos ira viritum exarsit, aspice cæsas gladio conciones & plebem immisso milite contrucidatam & in perniciem promiscuam totos populos capitis damna passos.

C A P U T V.

Quomodo Ira sit moderanda.

1. *Atq; hæc quidem mala ex ira promanant, ubi concitator ille animi motus semel rationis jugum excusserit & in animo principatum obtinuerit. Quæ non ideo à nobis afferuntur, ut omnem omnino iram vitiosam atq; ideo funditus ex animis hominum exstirpandam esse asseramus; non: sed ut modum quandam in irascendo adhibeamus, quem ultra progredi non oporteat. Nam Ira moderata non solum utilis est, sed & valde necessaria, sive quis in hostem velit impetum facere, sive scelera & delicta punire ac castigare.*

2. *Bellatoribus quidem ira necessaria est, quia nemo ferè adeo asper & severus est, ut possit in hostem impetum facere,*

D

cumq;

eumq; si necesse foret, trucidare, nisi fuerit in conciliatus. Quae de causa prudentes belli duces diligenter operam dare solent, ut milites hanc de hoste opinionem imbibant, se ab illo spreto ac contemptos esse: ita enim & ad invadendum illum alacriores & ad pugnandum fortiores esse solent: Unde etiam iram esse eorum fortitudinis dixerunt. Cicer. Lib. 4. Tuscul.

3. Sed & ij, qui scelera & delicta punire ac castigare volunt, rectè & utiliter irascuntur. Quis enim vitio vertat aut magistratui si ira corripiatur ob leges data opera à subditis violatas? aut parenti si excandescat ob profligatos ac improbos filij mores? aut domino, si servum, aut praeceptori, si discipulum ob culpam admissam stomachosè increpet? Nimirum ipse peccati aspectus indignus est. nam qui non moveretur omnino, aut probat delicta, quod turpius & injustius: aut molestiam castigandi fugit, quam sedatus animus & quieta mens aspernatur ac renuit, nisi ira stimulerit. Qui autem commovetur, tamen intempestiva lenitate vel sapius, quam necesse est, vel etiam semper ignoscit, is planè & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora majora, & sibi ipse aeternam molestiarum materiam subministrat, ut ait Lactant. De Ira Dei cap. 18.

4. Verùm hic diligenter videndum, ne fines in irascendo excedamus: quod fiet, si Quare, Quibus, Quando, Quamdiu & Quomodo irascendum sit diligenter observaverimus.

5. Causa, cur quis sine reprehensione irasci possit, debent esse graves & justas ut si quis videat cultum divinum contemni, patriam libertatem ac jura infringi, parentes violari, conjugem pulsari, liberos vel injuria affici vel à malis sodalibus corrumpi, rem familiarem ab ijs, quibus credita erat, malè administrari, famam deniq; & existimationem suam ladi. Talis fuit ira Moysis duas illas ex lapide tabulas, manu Domini scriptas confringentis, postquam populum luxui & sacrilegio deditum deprehendit. Exod. c. 32. v. 19. Samsonis qui utroq; oculo ab Allophylis orbatus varijsq; contumelijs affectus, recuperatis viribus domum illam, ira

*Lim, in qua omnes Allophylorum principes in honorem Idoli sui
epulabantur, duabus columnis subnixam disjecit ac simul non
inultus occubuit Judic. 17. Davidis in Ammonitas, qui
contra jus gentium legatos ejus violaverant, barbas ac vestes il-
lorum praecidendo. 2. Sam. c. 12. Elie adversus sacerdotes Baa-
litos 3. Regum c. 18. Theodorici Regis Gothorum in Italia
adversus quendam ex aulicis suis ministris: cum enim illum in
sui gratiam à Religione Catholica ad Arrianos quorum secta ta-
men ipse addictus erat, defecisse intelligeret, adeo excaudit, ut
sua illum manu confoderit, Non posse, inquitens, eum sibi fidem pra-
stare, qui Christo sefellisset. Sigon. lib. 16. Imp. occident.*

*Rectè igitur Zeno Eleates, qui reprehensus, quod Philoso-
phus cum esset, maledictis improborum commoveretur, respondit:
Si convitia æquo animo admisero, ne laudes quidem sentiam.
Laërt. lib. 9.*

*6. Sed & Quibus irasci liceat, diligenter videndum. Sunt
qui Deo irascantur, si forte in calamitatem inciderint, quod pri-
scos gentiles factitasse legimus, qui querelis Deos onerabant, illorū
aras ac templa lapidabant, statuas deiciebant, ac gravissimis
illos convitijs saepe feriebant, si quos ex charis amiserant, aut
fortunam minus faventem experti erant. Vid. Suet. in Calig.
c. 5. Artemidor. l. 2. c. 34. Stat. lib. 5. Sylv. Claudian. praefat.
lib. 2. in Eutrop. Lucanum lib. 7. & 9. alios. Sic C. Caesar Ca-
ligula irascebatur caelo, quod obstreperet Pantominis, quos
imitabatur studiosius, quam spectabat, quodq; comessatio sua
fulminibus terreretur, praesus parū certis: ad pugnam voca-
vit Jovem, & quidem sine missione, Homericum illum excla-
mans versum: ἦ μὲν ἀνάειγ', ἦ ἐγὼ σὲ. i. e. tolle me, aut ego te.
Senec. lib. 1. de Ira c. ult. Obsidente Tyrum Alexandro Tyrj
Apollini Deo suo irati, simulachrum illius aurea catena devin-
xere, araq; Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inservere
vinculum, quasi illo Deum Apollinem retenturi. Curtius lib. 4.*

Non minus ridicula ne dicam impia Xerxis ira, qui ob pontem
dejectum mari scribitur trecentas plagas inflixisse & compedes,
quasi eis Neptunum vincire posset, in aquam demisisse, his addi-
tis verbis: ὦ πικρὸν ὕδωρ καὶ ἀλμυρὸν, Δεσπότις τοι δίκλω
Ἰππιθεὶ τῷ δε, ὅτι μιν ἠδίκησας, ἔδωκ' ὡς ἐκέλευς ἄδικον
παθόν. Καὶ βασιλεὺς μὴ Ξέρξης, Δραχθήσεται σε, ἢν τε σύ γε
βέβλη, ἦν τε μὴ. σὶδε κ' δίκλω ἄρα ὡς ἔδωκ' ἀνθρώπων ἴσκι,
ὡς ἰόντι καὶ δολερῷ τε καὶ ἀλμυρῷ πᾶσι μῶ. O aqua amara &
marina, Dominus hanc tibi irrogat penam, quod eam laxasti,
qui de te nihil male meritus erat. Te tamen Rex Xerxes, velis
nolis, transmittet, [meritoq; nemo hominum tibi sacrificat ut
doloso pariter & amaro flumini. Herod. lib. 7. *Misit etiam
ad montem Athonem literas, quibus ei, si se impediret, graviter
minabatur: Αὐτὸν δαιμόνια ἔρανομήκη μὴ πικρὸν ἐμοῖς ἔργοις
λίθους μεγάλας καὶ δυσκαταράσσους. εἶδ' ἔμην, τερμὼν ῥήψω ὅσων
τῶν εἰς τῷ θάλασσαν. Atho infelix ad calum usque porrecte,
ne meis operibus facias lapides magnos & ad eruendum diffici-
les, alioquin excisum te projiciam in mare. Plutarch. de Ira
cobibenda. Flumini irascitur Cyrus Persarum Rex. Nam Ba-
bylonem oppugnaturus cum Gynden amnem vado transire tenta-
ret, ac unus ex equis illis, qui trahere regium currum albi sole-
bant, submergeretur, adeo indignatus est, ut jurarit se illum am-
nem adeo exhausturum, ut vel muliercula permeabilis fieret:
ac statim intermisso itinere tamdiu ab expeditione illa abstinuit,
donec flumen illud in trecentos & sexaginta rivus dischargeret.
Herodot. l. 1. Senec. l. 3. de Ira cap 21. Sic Caligula pra ira di-
ruit villam in Herculanensi pulcherrimam, quia mater sua ali-
quando in illa custodita erat, Sen. l. 3. de Ira c. 22. Aequè ridi-
culi Thamyris & Pandarus, quorum ille musicum instrumen-
tum, licet auro obvinetum, pra ira fregit, Plutarch. de Ira cob.
hic verò semetipsum devovit, nisi arcum, si in feriendo Diomede
aberrasset, manibus confractum suis in ignem conjiceret, Plut.*

d. h. iiii

d. l. ex Homere Iliad. 8. Eodem insanie morbo laborabat A-
drianus Pont. Max. qui indigne ferens ad Pasquini & Marstonij
statuas Roma toties famosos libellos affigi, utramq; vel in Tiberim
projicere, vel flamma comburere statuerat; nisi Suetonius Caroli
V. legatus hoc ipsi dissuasisset. Camer. lib. 2. medit. histor.
c. 62. Sic interdum equo aut mulo, quo vehimur, interdum cani
aut feli aut pratervolantibus muscis irascimur. Nonnunquam
librum minutioribus literis scriptum projicimus & mendosum
laceramus: Et vestimenta quia displicent scindimus, ut ait
Senec. lib. 2. c. 26. Sape etiam calamo irascimur in scribendo,
eumq; collidimus atq; frangimus: Et alcatores tesseras & picto-
res penicillo & cuicunq; instrumento quilibet, ex quo difficulta-
tem se pati arbitratur. ut ait Augustinus Epist. 115. ad Nebri-
dium. Sed ut impium est, Deo irasci: ita ridiculum ac demen-
tia plenum, bilem in homines collectam in res anima carentes
ac muta animalia effundere.

7. Non etiam irascendum ijs, qui per imprudentiam de-
linquunt. Sic Cræsus ignovit Adrasto Phrygi, qui filium ejus
Atyn in venatione telo, quod in aprum incaute direxerat, occidit.
Herodot. lib. 1. Et Henricus II. Gallia Rex vetuit animad-
verti in Mongomerium comitem, à quo in duello ludicro hastis
atringens confractis graviter vulneratus erat.

8. Non furiosis aut mente captis: exemplo Adriani Ce-
saris, qui cum apud Tarraconem spatiaretur per hospitiæ vi-
ridaria, servus hospitis in ipsum cum gladio furiosus irruit: quem
retentum ille ministris accurrentibus tradidit, & ubi furiosum
esse constitit, medicis curandum dedit, in nullo omnino commo-
tus, teste Spartiano.

9. Non etiam culpam serio deprecantibus irascendam:
Quo nomine Veturia graviter reprehendit filium suum Mar-
cium Coriolanum apud Dionys. Halicar. lib. 8. quem injuriam
sibi illatam vindicare cupientem non legati Reip. R. non sacer-
dotes

adotes supplices flectere potuerant; Verba haec sunt: Εγὼ μὲν
σοὺ εἶμι πῶς θπαινεῶ ταῦτα σκληρὰ καὶ ὑπεραυχὰ, καὶ
πλὴθ θνητῶ φύσει ἐκτελεγεῖται δικαιοῦντα, ἐγὼ σοὺ καὶ Φυρῶς
εὐσημεῖας ἀπικιν ἀνθρώποις ἢ παρατησίαι ὧν ἐξαμαρτάνουσι παρὶ
ἐκείνων, ἰκετηρίας, ἢ λιπῆς καὶ τὸ καὶ Φυρῶν ἐπι τῆς ἠδικη-
μῆρας τὸ ἀδικεῖν ταπεινόν, τῶν ἡμῶν ταῦτα τὰ ἐστὶ καὶ ἐπισημα-
μῶν. ὑφ' ὧν μαρτυρεῖται πᾶσι ὁργῇ, ἢ ἀντὶ τὸ μισεῖν τὸν
ἐχθρὸν, ἐλεῶ. τῆς ἢ αὐθαδείας χρησιμῆρας καὶ λιπῆς ἰκετῶν
ὑδρῶσαντες, ἀπικιν νημοσωμῆρας ὑπὸ τῶν, καὶ εἰς συμφορῆς
κατατρέφοντες σοὺ ἀτοχῆς. Αὐτοὶ γὰρ δὴ πρῶτον οἱ ταῦτα πα-
ρατησίμῆροι ἢ παραδόντες ἡμῶν θεοὶ, συγγνώμονες πῆς ἀνθρω-
πῶν εἰσὶν ἀμαρτήμασιν, καὶ εὐδιάδικτοι, καὶ πολλοὶ ἤδη με-
γαλὰ εἰς αὐτῶς ἐξαμαρτάνοντες, φυχῆς καὶ ψυχῆς τὸν χά-
ρον ἐξήλασαν. Εἰ μὴ σὺ, ὦ Μάρκιε, ἀξίους τῶς μὲν τῶν τῶν
ὁργῆς θνητῆς εἶναι, πῆς δὲ τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους. id est:
Equidem nullo modo laudare possum hac dura & supra modum
superba & mortalis naturæ terminos transeuntia postulata, quod
videam omnibus hominibus refugia inventa esse, & deprecationes
mutuarum offensarum, preces supplices, & preces, &
ut is, qui fecit injuriam, ad eos, qui eam sunt passi humiliter con-
fugiat, qui mos nobis à Dijs est constitutus, quo omnis ira molli-
tur, & odium quod esset exercendum in inimicum, in misericor-
diam convertitur: Contrà verò omnes qui superbi sunt, & qui
supplicum preces cum contumelia repellunt, in Deorum indigna-
tionem incurrere & tandem in miseræ calamitates incidere ani-
madvertam. Nam ipsi Dijs, qui primi hunc morem constituerunt,
nobis tradiderunt, facile humana peccata condonant, facileq;
hominibus reconciliantur, & jam multi quum graviter in eos
deliquissent, precibus tamen & sacrificijs iram eorum placarunt.
Nisi fortè tu Marci, æquum esse censes, ut Deorum ira sit morta-
lis, hominum verò immortalis.

19. Is verò jure irascendum, qui omni probitati &
virtuti

virtuti nuncium remiserunt, & jam totos se vitijis flagitijsq̄
addicarunt.

11. Tertio observandum, Quando irasci debeamus: ubi
hac quinq̄ observanda sunt. I. Non esse ira locum relinquendū,
quando de rebus serijs consultatio instituitur. Nam ut verē ve-
rius sapiens ait: ἔδδεις μετ' ὀργῆς ἔδδεν εἶ βελούτα. Meas
nil in ira rectē quiequam consulit. Et Diodorus Eucratis filius
apud Thucydid. duas res maximē consilio inimicas ac rationi
esse ait, Festinationem atq̄ Iracundiam, quarum altera amen-
tiam, altera inscitiam ac levitatem habet. Νομίῳ δὲ δὺς τὰ
ἐναυλιώτα εὐβελία εἶναι, Τάχθ' τε καὶ Οργῶν. ὡν τὸ μὲν με-
τὰ ἐνοίας Φιλῆ γίνεσθαι, τὸ δ' μετὰ ὑπαιδούσιας καὶ βεβ-
χύτηθ' γνώμης. Et Salustius iram ac cupidinem pessimos
consultores vocat in bello Jugurth.

12. II. Ira abstinendum in convivijis. Cum enim
convivia ad hilaritatem excitandam & fovendam conserva-
damq̄ amicitiam & familiaritatem instituta sunt, Ira verò rixas
generet ac jurgia, quae hilaritatem perturbant & inimicitias se-
runt, sequitur verum conviviorum usum tolli, si quis in convi-
vijis, dum alij frontem exporrigunt, & hilaria agitant, iracun-
diam exercere & nescio quas tragedias excitare velit. Exemplum
ira intempestiva extat apud Senecam lib. 3. de Ira cap. 40. ubi
narrat Vedium Pollionem, cum Augustus apud ipsum aliquando
canaret, ob fractum à servo crystallinum adeo excanduisse, ut
muranis illum obijci voluerit, nisi Augusti auctoritas interces-
sisset.

13. III. Non etiam in pœnis sumendū irascendum. Qui
enim hoc faciunt, plerunq̄ sibi ipsis plus nocent, quam alijs, qui-
bus irascuntur. Unde Xenophon lib. V. hist. Grac. & δ' οἰ-
κῆρας χερὶ ὀργῆ καλῶτερον. παιδάκις δ' καὶ δειπώται ὀργιζόμενοι
μείζω κακὰ ἐπιείθον ἢ ὀποιήσαν. Ne quidem in servos animad-
vertendam est commoto in iram animo. Quippe domini contra

ισακῆ

irati sunt, saepe numero plus detrimenti accipiunt, quam alij inferunt. Deinde vix est, ut non modum in puniendo excedant. Rectè Cicero lib. 1. officior. Prohibenda maxime ira in puniendo. Nunquam iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum. Hac de causa laudatur Architas Tarentinus. qui in patriam reversus, cum rura sua reviseret ac negligentia villici omnia corrupta & perditata esse animadverteret, intuens malè meritum: Summissem, inquit, a te supplicium, nisi tibi iratus essem. Cic. lib. 4. Tuscul. Valer. Max. lib. 4. c. 1. Lactant. de Ira Dei cap. 18. Extat apud Plutarchum inter Regum Ducumq; apophthegmata non absimile dictum Charilli ad quendam ex Helotis arrogantius ad se accedentem: Ἡ τῷ Σιδῷ, εἶπε, κατὰ τὸ νόμῳ, ἐὰ μὴ ὀργισθῆναι. Per Deos, inquit, gemellos (Castorem ac Pollucem intellige) occidisset te, nisi iratus fuisset. Memorabile quoque factum est Platonis, qui cum adversus delictum servi vehementius exarsisset, veritus ne ipse modum vindictæ discipere non posset, Speusippo amico castigationis arbitrium mandavit, deforme sibi futurum existimans, si commississet, ut parem reprehensionem culpa servi & animadversio Platonis mereretur. Valer. Max. l. 4. cap. 1. Nimirum citra iracundiam delicta punienda sunt, exemplo patris filium benignè castigantis, ut ait Leo Imp. Novella 105. Nam qui modum in puniendo excedit, ipse poenam legis incurrit. Sic enim actio Legis Aquiliae datur contra magistrum, qui rudiore doctrina discipulum eluscat: & in Sutores, qui discipulum forma calcei percussit, & oculum ei eruit. D. ad Leg. Aquil. L. sed & si S. Si magister. Nam preceptoris servitia culpa assignatur. Et jure Pontificum Præbyter clericum immoderatè castigans & causam mortis præbens in canonem excommunicationis incidit. lib. 5. Decretal. De homicidio voluntario cap. 7.

14. IV. Non nimis tardè irascendum in gravioribus ac manifestis

festis delictis: qui enim hac non puniunt, magnam profectò ad nequitiam fenestram aperiunt. Nam deterior s omnes sumus licentia, ait Comicus Heaut. Et egregiè Julianus Imperator in Misopogone circa finem: ἡ ἀρετὴ τὰς πάνδεργας καὶ κλέπτας πρώτης ἀνέχετ' ἢ τρέφει τὴν ἐν ταῖς ἀνθρώποις κενίαν. Lenitas & clementia in fures ac impostores alit ac corroborat hominum improbitatem. Ubi enim spes impunitatis affulget, ibi improbitas plenis velis invehitur, & velut admissus equus lascivire ac currit, ut in suo circo. Maxima peccandi illecebra est spes impunitatis. — Plus saepe nocet patientia Regis

Quam rigor, ille nocet paucis, hæc incitat omnes

Dum se ferre suos sperant impune reatus, ut canit Guntherus lib. 1. Ligur.

15. V. Non deniq; nimis citò in delictis non satis cognitis & exploratis. Qua de causa Plato nolebat irasci discipulo suo Xencrati, etsi erat qui ipsum impiè multa de Platone locutum diceret. Vide Valer. Max. lib. 4. cap. 1. Et Constantius non excanduit in Amphilochium, qui publicè dicebatur sevisse causas discordiarum inter Imperatores fratres: Cum enim publica acclamatione postulàretur, ut tanquam perduellis & obstinatus statim occideretur, benignè respondit Constantius: Desinite hominem urgere, ut existimò, fontem, sed nondum apertè convictum. Am. Marcellin. lib. 21.

16. Quartò. Non est etjam diu irascendum. Cum enim mortales simus, non decet nos immortalem iram genere, ut monet Græcus ille senarius, qui extat apud Aristot. lib. 2. Rhetor. cap. 21. Ἀθάνατον ὄργην μὴ Φύλαττε θυητὸς ὄν. Quo argumento utuntur etjam Legati Hetruria, cupientes Tarquinium Superbum regno & urbe ejectum Senatui pop. q; R. reconciliare. Nam autor Dionysius Halicarnassens illos inter alia hac Senatui in memoriam revocasse, ut homines cum sint, non supra humanam condicionem sapiant, nec immortales iras gerant in corpo-

ε

ribus

vibus mortalibus, sed vel prater animi sententiam ad aequitatem se demittant in deprecatorum gratiam, cogitantes prudentium virorum officium esse, amicorum causa inimicis offensas remittere, contra insipientium & barbarorum cum inimicis ipsos etiam amicos repellere. Verba autoris lib. V. hac sunt: Ἀνθρώπους ἔντας μηδὲν ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων φύσιν φρονεῖν, μηδὲ ἀπαντάς ἔχειν τὰς ἐχθράς ἐν θνητοῖς σώμασιν, ἀλλὰ καὶ παρὰ γνώμην τι πράττειν Ἰπικῆς ὑπομένειν, τῶν δεομένων χάριν ἐυθυμηθεῖν, ὅτι φρονίμων μὲν ἀνθρώπων ἔργον ἐστὶ τῆς Φιλίας χαλεπὸν τὸ ἐχθρῶν, ἀνοήτων δὲ καὶ βαρβάρων, τὸ ἐχθρῶν συναγαγεῖν τὰς φίλους.

Quo pertinet illud Ciceronis in orat. pro C. Rabirio Postumo: Neque me verò poenitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. In hanc sententiam quoque Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 211. ad Eustathium Presbyterum: καὶ τῶν μὲν ἐχθρῶν εἰς ὕδαρ γράφειν, ἵνα ταχέως ἀφανίζεσθαι τῶν δὲ Φιλίας εἰς χαλκόν, ἵνα ἀπὸ παντὸς βεβαία καὶ ἀκίνητα ἰσχυροῦσθαι. Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quàm primùm obliteretur: amicitiam vero in æs incidere, ut perpetuo firma ac immota seruetur.

17. Huc spectat etiam Symbolum illud Pythagora, qui præcipiebat, τῆς χύτρας ἀρθείας δαπὲ τὸ πρὸς τῶν ἐν τῇ ἀποδοῦ τύπην μὴ ἀπλιπεῖν, ἀλλὰ συγχεῖν. Olla ab igne sublata non relinquere figuram, sed eam confundere: Item: Αναστίντας ἐξ εὐνῆς τὰ σπώματα περῆσαι, Qui surgunt è cubili, stragula conturbare. Quod Clemens Alexandrinus lib. 5. σπῶμα. ita interpretatur: ἔ τὸν τύπην ἀφανίζεσθαι μόνον δεῖν, ἀλλὰ μηδὲ ὀργῆς ἰχνησθαι δαπλιπεῖν. Πάν ὃ ἀναλέσσει παύσηται, καὶ θισσαδὴς αὐτῶν καὶ πῶσον ἀναλείφειν μνησικακίαν. Non solum delendum esse fastum ac superbiam, sed ne ira quidem esse relinquendum vestigium, cum autem ebullire cessaverit, eam esse componendam & omnem injuriæ memoriam delendam.

Cum

Cum quo praecepto quadrabat sectatorum ejus consuetudo, qui cum inter se dissidebant, ante Solis occasum dextris junctis inter se complexi redibant in gratiam, ut refert Plutarchus *ᾠδὴ Φιλαδέλφιας*. Quae consuetudo ex amussim respondet mandato Apostoli, quod extat Ephes. 4. v. 26. ὁ ἥλιος μὴ ὑπερδύετω ὑμῶν τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Sol non occidat super iram vestram.

18. Est igitur Ira statim deponenda. Nam si diu protrahatur, facile in odium ac furorem degenerat. Ovidius lib. 1. de Arte:

Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram,
Saepe similitates ira morata facit.

Et in cuius animo ira semel radices egit, inde non facile potest evelli: id quod eleganti similitudine declarat Plutarchus in lib. *ᾠδὴ ἀγογῆσις*: Quemadmodum flamma in pilis leporinis aut scirpis aut stipulis accendi coepta non magno negotio extinguitur, at non item si solida corripuerit: Sic ira primum gliscens facile vel joco vel risu compefcitur, cum videmus fumantem adhuc: quod si processerit, vix ullo negotio possit extingui.

19. Restat ut Quomodo irascendum sit, videamus. Verum id cum explicatu perquam difficile sit, iudicio viri prudentis, quod omnium virtutum regula ac norma esse debet, relinquendum est. Consistit autem potissimum in eo, ut caveamus ne ab ira nos abripi patiamur ad ea, quae vel visu sacra, vel dictu pudenda, vel facta turpia sunt, quorumque nos, ubi ira resederit, poenitere possit.

20. Hac igitur ratione coërcita Ira non modo nullam reprehensionem, sed et laudem meretur, quaeque ad eum, quem diximus, modum iram frenare docet virtus, nomine quidem apud Graecos vacat: sed tamen vulgò *πραότης* dicitur, Latine Lenitatem vel Mansuetudinem appellare possumus.

21. Huius praecleara virtutis extrema sunt ex una quidem

parte *Αργυρία*, quam Cicero lib. 4. *Tuscul.* Lenticudinem interpretatur, ubi de Peripateticis loquens ait: Virum deniq; videri negant, qui irasci nesciat, eamque quam nos Lenitatem dicimus, vitioso Lenticudinis nomine appellant. Hoc vitio qui laborant eos Aristoteles: 1. Ηλιθιοι, h. e. fatuos & stultos appellat, qui tanta sunt ignavia præditi, ut nullam rem agere ferant, nec ulli quo tempore & loco oportebat, succenseant. 2. ἀνδραμόδωτοι h. e. mancipia, utpote qui adeo timidi sunt & tam servili ingenio ut nullam injuriam sibi aut suorum alicui illatam ulcisci studeant vel ausint.

22. Ex altera verò *Οργή* vel Iracundia, quod vitium in irascendo modum excedit. Differt ab Ira, quemadmodum Cicero 4. *Tuscul.* ait, ut Anxietas ab Angore. Neque enim omnes sunt anxij, qui anguntur aliquando; neque anxij semper anguntur, ut inter ebrietatem & Ebriositatem interest, aliudq; est esse Amatorem, aliud Amantem. Cui consentit Seneca lib. 1. de Ira cap. 4. Paulò aliter autem Claudius Imp. apud Suetonium cap. 38. Iræ atq; Iracundiæ conscius sibi, utramq; excusavit edicto, distinxitque: pollicitus alteram quidem (*Iram*) brevem & innoxiam: alteram (*Iracundiam*) non injustam. Verùm hæc discrimina à Latinis scriptoribus non semper observantur.

23. Esi autem varia sunt hujus mali species: nam ut Seneca ait lib. 1. c. 4. quædam sunt iræ, quæ intra clamorem confidunt; quædam non minùs pertinaces quam frequentes; quædam sævæ manu, verbis parciores; quædam in verborum maledictorumque amaritudinem effusa; quædam ultra querelas & averfationes non exeunt, quædam altæ gravesque sunt, & inorsus versa; mille aliæ species mali multiplices: Nos tamen Aristotelem secuti tria tantùm Iracundorum genera statuimus.

24. Primum genus est eorum, qui ob quodvis dictum & factum ad omnem serè occasionem iram citò colligunt, sed & eandem

dem citò deponunt. Cujus rei ratio, ut alias mittam, hac offerri potest, quod qua impetu fiunt, durare non soleant: diuturniora autem sint, quæ cunctabundè & compositè. Sic & flamma qua subito excrevit, subito extinguitur. Hoc vitio laborabat Qu. Frater, cui Cicero lib. 1. ad Att. Epist. 17. mollem animum fuisse ait & ad accipiendam & ad deponendam offensivum. Horatius quoq; lib. 1. Epist. 20. disertè scribit, se fuisse

Iraſci celereſ, tamen ut placabilis eſſet:

Et Ausonius de ſe ipſo:

Iraſci promptus properavi condere motum.

Atq; mihi pœnas pro levitate dedi.

Jul. Agricola quoq; iram in promptu habuiſſe, nec ſervaiſſe, teſtatur Tacitus, in ejus vita: Cæterum ex iracundia nihil ſupererat, ſecretum & ſilentium ejus non timeres, honeſtius putabat offendere quam odiſſe.

25. Breviter: optima quoq; natura huic vitio ſunt affines. Unde & quidam ſimplicitatis indicium iracundiam, dixerunt, & vulgo creditur facillimus quiſque huic obnoxius. Senec. l. 3. de Ira cap. 4. Diſertè Cicero lib. 1. ad Attic. Ep. 17. affirmat, irritabiles eſſe animos optimorum ſæpe hominum & eorſdem placabiles, & eſſe hanc agilitatem, ut ita dicam, molitiãq; naturæ plenumq; bonitati. Homerus Iliad. N.

Αλλ' ἀνεώμεθα θεῶν, ἀνεσται δὲ φρένες ἐοδῶν

Sed placemur citius. placabiles autem ſunt bonorum mentes.

26. Ad hanc claſſem nescio an Amantes quoq; referendi ſint, inter quos ira levibus quidem de cauſis exiſtere, ſed non diu durare ſolent. unde Menander: ὀργὴ Φιλόνων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον. h. e. Exiguo amantum durat Ira tempore. Imò verò, (ne hoc etiam hic prætereamus) tale amantum ingenium eſt,

— ira ſi quæ forte eveniunt huiusmodi

Inter eos, rurfum ſi revertum in gratiam eſt,

Bis tanto amici ſunt inter ſe, quàm prius. ut ait Plau-

us in Amphit. Hinc Terentium in Andr 3. sc. 3. Amantium
iter amoris integratio est. Et Græcus Poëta:

Ἦρεϊς ἐρωτικῆς ἔλδοσ, μάτιν δὲ μῦθος ἀλάπη.

Ἦρεϊς ἐμὴν ἐρέτη μ' ἔμον ἐρωτικῶν ἰλλω.

Fabula quod jactant, injuria solvit amore;

Namque redardescit sic meus iste furor.

Illustrat hoc egregia similitudine Plutarchus in ἐρωτικῶ.

Quemadmodum, inquit ille, cum e nubibus exijt Sol, ac post
caliginem deniq; ferventior est: ita amor, cum intercessit ira
aut suspicio, pace facta, reconciliatisq; animis jucundior est at-
que acrior. Pertinet huc historia de Agathone Poëta à Pausa-
nia adamato: cum enim inter eos crebra contentiones existe-
rent, Archelau Rex arbitratus amatorem ab amasio sperni, cau-
sam hujus rei ab Agathone quesivit, cui ille respondit; se non
contendendi studio aut rusticitate aliqua id facere, sed quod cum
ex alijs, tum verò ex arte Poëtica didicerit, ἡδιστὸν εἶναι τοῖς
ἐρῶσι πρὸς τὴν πυθινῆν ἐκ διαφορῆς κατὰλλόσεσθαι, jucundif-
simum amantibus esse, si ex contentione & luitibus cum amasio
in gratiam redeant. Hac igitur voluptate ut Pausaniam per-
fundat, se frequenter cum ipso contendere. *Alia. lib. 2. Var.
hisor. cap. 21.*

27. Hoc genus ira Horatius sat 3. lib. 2. bilem splendidam
vocat, quod in ipso ore eniteat, atq; adeo nihil celet. Persius
sat. 3. vitream; quod citò vanescat frangaturq;. Qui verò hoc
vitio laborant, ἀεὶχολοὶ ab Aristotele appellantur, suntq; in-
ter Iracundos facile optimi.

28. Nam qui subito incallescunt et iram vultu, oculis, ver-
bù, manibus produnt, nihil ab ijs magnopere metuas, scias facile
desituros. Illi magis metuendi, qui etiam in media ira leni sunt,
qui nihil incompotitè, nihil inordinate faciunt. Euripides in
Medea:

Γυνὴ πῶ ἐξύθημ' ὡς δ' αὐτως ἀνῆρ.

Ρῶων Φυλάσσαν, ἢ σιωπηλὸς σφός.

Seneca

Seneca in Medea v. 153. — Ira quæ regitur, nocet?

Professa perdunt odia vindictæ locum.

Sic Medici siccas febres maximè metuunt, non quæ vehementissima sunt, vagæq; & incerta modo citius modò seriùs agrotum adoriuntur: sed eas, quæ quamvis remissiores, constanter & statim vicibus quasi ad vadimonium accurrunt.

29. Alterum genus est eorum, qui difficulter reconciliari & diu irasci solent. Neq; enim statim iram effundunt, sed dissimulant ac premunt, nec priùs ponunt, quam malum reddiderint, ijs, à quibus acceperunt. Nam vindicta voluptatem illis affert & dolorem illum adimit. Quamdiu autem hoc non fit, onus suum bajulant, & iram quasi circumferunt. Cum enim sint tecta & recondita natura, neq; alijs iram suam indicare soleant, fit ut aliorum suasionibus aut consilijs levari aut minui ira non possit. Tardius igitur Ira apud illos residet, donec dissolvi sua sponte possit, aut concoqui, hoc verò non fit, nisi longo tempore. Hos Aristoteles *αἰμῶδες* vocat, nos amaros vel acerbos dicimus. Huiusmodi ingenio fuerunt præditi Simeon ac Levi, qui iram adversus Sichemitas, quorum princeps ipsorum sororem Dinam stupro subdiderat, tantisper occultarunt, donec pacto cum illis fœdere omnes in oppido virilis sexus ex recenti circumcissione adhuc infirmos perimerent ac ita sororis injuriam ulciscerentur. Genes. c. 34. Et Nicocreon Cypri tyrannus adversus Anaxarchum, qui ab Alexandro in quodam convivio interrogatus, quidnam de illa cœna sentiret, dixisse fertur, Omnia magnificè, ô Rex: sed oportebat jam caput Satrapæ cujusdam apponi, Nicocreontem Cypri tyrannum, ejus inimicum innuens. Quibus verbis ille quidem mirum in modum excanduit, sed vivo Rege ulcisci se non ausus fuit. Post mortem autem Regis cum Anaxarchus navi vectus, ventorum violentia aliquando in Cyprum insulam delatus esset, Nicocreon comprehensum illum in mortarium conijci ac pistillis ferreis tundi jusit, Anaxarcho interim nobilissimam illam vocem edentes *ἄρα ἔσθ*
Αραἔσθ

Αναξάρχος Ἰύλακον, Αναξάρχον ἢ ἔ πηήεις. Tunde, tunde
 Anaxar hi Ell. m, Anaxar. hum n. non tundis, ut verba hac in-
 terpretatus est Tertull. Apologetico, cap. ultimo. Videndum de
 hac historia Diogenes Laertius lib. IX. Theodoretus de Martyrib.
 lib 8. Plutarchus in lib. de Virtute morali.

30. Tertium genus est eorum, qui non prius ab iracundia
 cessant quam adversarium uli sint & omne vius vindicta fue-
 rit effusum: quos Aristoteles in Ethicis Nicomach. χαλεπες, dif-
 ficiles, in Eudemij's lib. 3. c. 3. ἀρετες appellat. Atq; hi sunt omni-
 um deterrimi & ex duobus prioribus concreti. Nam & ut primi,
 levissimi de causis concitantur, & ut secundi, diu iram fervent,
 nec ulla ratione placari possunt, qua vindicta. Caterum a primis
 pridem ira diuturnitate distant, nam ut illi cito deponunt offensio-
 nem, sic horum iracundia est plane implacabilis: a secundis vero,
 quod illi etsi difficulter tamen interdum interposito spatio redeunt
 ad sanitatem, hi vero nunquam sunt exorabiles, nullaq; re, nisi ul-
 tione explentur. Et qui secundo loco positi sunt, dolorem & agri-
 tudinem occultant, postremi vero, ut primi, iram in promptu ge-
 runt atq; ideo magis sunt vindicta cupidi.

31. Ha sunt tres illa Iracundorum species: à Philosopho lib.
 4. Ethic. allata; à quibus non multum abludit illa Damasceni di-
 stinctio, qui lib. 2. orthodoxa fidei. c. 16. ita loquitur: Εἶδη ἢ τὰ
 θυμῶν τρία. ὀργή, ἣν καλεῖται χολή ἢ χόλη, ἢ μῆνις ἢ κότ. Ὁ
 θυμὸς μὲν γὰρ ἀρχῶν ἢ κινήσιν ἔχων, ὀργή ἢ χόλος λέγεται. Μῆνις
 ἢ χολή ὀπιμύροσα, ἣν μνησικακία: εἴρηται ἢ παρὰ τὸ μῆνιν, ἢ
 τῇ μνήμῃ παρὰ δίδου. Κότ. δὲ ὀργῇ ὀπιμύροσα καί ἐστιν εἰς τὴν
 πτωσίαν. εἴρηται ἢ ἔπος παρὰ τὸ κῆδος. Ira tres sunt species: Ὀρ-
 γή (quæ & χολή & χόλος dicitur) Μῆνις & Κότ. Ira quæ princi-
 pium ac motum habet, Ὀργή, χολή & χόλος appellatur: Ira per-
 manens seu injuriarum pertinax memoria dicitur Μῆνις à manen-
 do, & quod memoriæ sit tradita, Ira vero observans occasionem
 vindictæ Κότ. παρὰ τὸ κῆδος, quod alta mente reposita sit. Hæc
 ἴσδὲν serè verbis extant apud Nemesium de Nat. hominis c. 21.

Mantissa loco subjungimus hac axiomata politica ab argumento hujus disputationis non prorsus aliena.

I.

Christianis usum Judiciorum minimè interdictum esse, sed licere ipsis quoq; bona conscientia in foro litigare & jus suum coram magistratu persequi.

II.

Virum bonum nunquam quicquam facere debere, ne laceffitum quidem, ut noceat alteri: posse tamen factam sibi injuriam interdum sine vitio ulcisci.

III.

Principi & utilius & honestius esse maledicta ac convitia in se jacta æquo animo ferre & aspernari, quàm severe vindicare.

IV.

Licitum esse Christianis bella gerere & bellis interesse.

V.

Bellum à Principe Christiano religionis propagandæ causa contra barbaros aut paganos, à quibus tamen læsus non sit, susceptum non videri legitimum, & iustum.

VI.

Perquam necessarium & utile esse, ut Princeps ipse bello interfuit.

VII.

Mitiùs puniendos esse, qui per ebrietatem peccant, quàm qui sobrii delinquant.

Percus-

VIII.

Percussorem illum, qui patris sui ulciscendi causa unum ex militibus ab Icete ad interficiendum Timoleonem conductis in ipso templo occidit, & hoc modo mortem Timoleonis avertit, rectè absolutum & præmio ornatum videri. *Plutarchus in Timoleonte.*

IX.

Difficilius esse voluptati repugnare, quàm iræ.

X.

Bœotus Evæonem Leodamantis fratrem, cum ad coenam invitasset, ebrius vulneravit: qua injuria Evæo commotus, Bœotum per iracundiam interfecit. Quæritur an rectè? Respondemus non videri. *Vid. Demosthen, in orat, adversus Midiam.*






Seneca in Medea v. 153. — Ira quæ regi

Professa perdunt odia vindictæ locu

Sic Medici siccas febres maximè metua
mentissima sunt, vagæq; & incerta modo citi
tudo adoriantur: sed eas, quæ quamvis rem
& statim vicibus quasi ad vadimonium acci

29. Alterum genus est eorum, qui di
ri & diu irasci solent. Neq; enim statim
dissimulant ac premunt, nec prius ponunt,
derint, ijs, à quibus acceperunt. Nam vim
læ affert & dolorem illum adimit. Quamodi
onus suum bajulant, & iram quasi circum
sint tecta & recondita natura, neq; alijs ira
leant, sit ut aliorum sussonibus aut consili
ira non possit. Tamdiu igitur Ira apud illos
sua sponte possit, aut concoqui, hoc verò non fa
re. Hos Aristoteles *μυρῆς* vocat, nos a
dicimus. Hujusmodi ingenio fuerunt

Levi, qui iram adversus Sicheimitas, q
psorum juroribus Dinam stupro subdide
caltarunt, donec pacto cum illis fœdere o
rilis sexus ex recenti circumcissione adhuc i
ac ita sororis injuriam ulciscerentur. Genes. c
Cypri tyrannus adversus Anaxarchum, qui a
dam convivio interrogatus, quidnam de illa
se fertur, Omnia magnificè, ô Rex: sed oporteb
pa cujusdam apponi, Nicocreontem Cypri tyr
cum innuens. Quibus verbis ille quidem m
canduit, sed vivo Rege ulcisci se non ausus f
autem Regis cum Anaxarchus navi vectus,
aliquando in Cyprum insulam delatus esset,
hensum illum in mortarium conjici ac pistilla
& Anaxarcho interim nobilissimam illam voc



the scale towards document
vebe-
agro-
tanter
cilia-
nt, sed
reddi-
em il-
on fit,
enims
ere so-
minui
dissolvi
empe-
erbos
on ac
eps i-
r oc-
lo vi-
erent
creon
a quo-
dixif-
atra-
nimi-
m ex-
ortem
lentia
mpre-
jusit,
base t
w&g-